



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Minerva.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

JUSTITIA. CAP. XLII.

Uero trini prosequamur significata, ut alibi etiam ostendimus, justitia dicaverunt, ut de Pythagoricis disciplinis Plutarchus ait. Injuria siquidem afficere, neque non affici, cum extrema sint, & idcirco vitiosa, justum æqualiter utrinque reductum in medio residet. Sane Pythagorici non numeros tantum, verum etiam figuras deorum nominibus dedicaverunt, quippe qui triangulum æquilaterum Minervam appellabant, Verticigenam & Tritogeniam: propterea quod tribus perpendicularibus lineis ab angulis tribus dissectetur.



MINERVA. CAP. XLIII.

Quod vero pertinet ad Minervam, trigeminam eam nonnulli faciunt, propter anni tempora, quæ ut sæpe dictum, apud Ægyptios tria tantum fuerunt: quippe, Ver, æstas, & hyems. Huic etiam tertium uniuscujusque mensis diem dedicaverunt, cum à Lunæ coitu mensis auspiciarentur, ut Sthenis author est. Pallas enim, ut in eorum est Theologia, die tertia orta est. Et eandem & Pallada & Lunam plerique interpretantur. Hæc vero non prius quam tertio à coitu die se videndam exhibet. Quamquam non desunt qui Tritogeniam ea de causa dictam asserant, quod è Jovis capite orta prædicetur. Triton enim Bœotiorum lingua caput appellatur. Sane Diodorus Pallada æfem esse dicit, eumque incorruptibilem, eaque de causa & virginem deam, & Jovis è vertice editam, confectum esse. Ad hoc facit Horatianum illud:

*Proximos illi tamen occupavit
Pallas honores.*

Nam cum ær tertium ex elementis locum obtineat, Æthræ, quæ pro Jove accipitur, omnino proxima est, & ternarius illi numerus recte datur. Missa facio quæ multa & varia de palude Tritone Græci fabulantur. Sed illud minime dissimularim, quod Democritus dixisse fertur, Pallada Tritoniam ea de causa nuncupatam, quod præcepta tria ad humanam vitam bene beateque degendam necessaria proposuerit, bene quidem consulendum, recte judicandum, juste denique agendum. In quem terminum omnis disciplinæ sanctioris finis dirigitur. Merito igitur ternarius, & triangularis figura ea, quæ lineis æqualibus describitur, & Palladi est, & justitiæ dicata.

HUMANITAS. CAP. XLIV.

Sunt & alia figurarum triangularium significata, quæ Pfellus & libello De demonibus interpretatur. Ea libenter apponam, quia cæteris hieroglyphicis videntur minime dissimilia. Æquitatem enim humanitatis symbolum ajunt, quod quidem una breviori linea descriptum, indicat rationis modulum contractiorem esse, ac perinde multa effugere, quæ percipi non possint.



MORUM DISSOLUTIO.

CAP. XLV.



Vel si una sit linea latiore productioreque, aberrare significat ab institutis, & à recta via, & plus æquo indulgeri quædam cupiditatibus.

CORRECTIO. CAP. XLVI.



DAMO.